

*de literis Eliæ ad Joramum.*

erit insignitus, appellativum tamen hoc fuit non proprium; non enim Elias, sed *Johannes* debuit vocari, licet in *spiritu Eliæ* eum oportuerit præcursoris officio fungi. Luc. i. Is autem intelligi hoc loco neutiquam potest, nimis enim absurdum esset, literas stante regno Judaico datas ad ejus Regem adscribere ei qui multis post seculis floruit, quique *limes & terminus fuit legis & Prophetarum*, Matth. ii. Unum Eliam fuisse, patet ex *sinistrâ spe Iudæorum*, qui non solum tempore Christi, sed & nostro, expectant adventum Eliæ ad has oras, & quidem illius, qui in Vet. Test. sub Rege Achabo vixerat. Inde etiam verba Christi in cruce pendentis, *Eli, Eli lama asabihani*, ex merâ petulantia & virulento sarcasmo detorserunt ad Eliam, cum tamen Christus, ut Marcus habet, Syriacè dixerit *אלי* non *אליהו* / quod tamen, si de Eliâ fuisset locutus, dixisse debuisset; nisi cum aliis velimus hoc, quod factum, Christo in cruce se derelictum à DEO querulante, adscribere *militibus Romanis* ex ignorantia linguæ sibi imaginantibus Christum vocare Eliam, de cujus adventu in quotidianâ cum Judæis conversatione eos aliquid inaudisse non improbable est. Alicram sententiam quod concernit, improbabilis ea est, quia ne minimum quidem corruptionis indicium deprehendi potest in textu, quamvis enim respiciendo ad *nomina latina* inter Elias & Elisa facilis sit transpositio, literaque s. posita vel ante, vel post a, vocem immutet, *in hebræo* tamen hoc nullatenus procedit, quantum enim differat vox *אלי* vel *אליהו* à voce *אשה* pueri norunt. Nec quicquam subsidii pro defendendâ hâc opinione haberi poterit, vel ex *incuriâ librariorum*, vel ex *paritate officii*, quod susti-

A 3

nu-